

## §. I.

**A**fferuerat D. Apostolus Cap. I. 13. DEVM non esse causam peccati, adeoque &c, si Christiani, ipso permittente, in varias incident *tentationes exter-nas*, quæ ex parte DEI non nisi tentationes in *bonum* sint, ad probandam illorum fidem, *tentationes illas*, quæ cum ipsis plerumque soleant coniunctæ esse, *internas*, ad impatientiam, ad iram adversus Deum & homines, ad diffidentiam erga promissiones divinas &c. una cum peccatis inde oriundis, nequaquam DEO, tanquam Auctori, adscribendas esse; Proba-verat etiam hoc assertum in seqq. ostendendo *partim*, omne peccatum in *homine ipso* nasci v. 14. 15. *partim* vero, a DEO non nisi *bona* in nos profici sci posse, atque aet tu ipso profici sci v. 17. 18. provocans hoc fine ad *Consilium Dei de nobis regenerandis*; qui enim in id enititur, ut nos *bonos* efficiat, *regenerando* nos, id quod omnis *boni* apud nos initium est, is certe nos *malos* esse non vult; tantum abest, ut Deus causa peccati sit, ut potius in id ipsum nos regene-ret, ut a malo liberemur, atque ad veram sanctita-

tem renovemur; Ita autem Scriptor Div. de hoc  
 beneficio differit, ut, quod BENSONIUS quoque  
 observavit c. l. pag. 77. Genealogiae peccati & mortis  
 v. 14. 15. e diametro v. 18. opponat Genealogiam vi-  
 tæ Christianæ & veræ felicitatis; Nam τὸ βελτίστης  
 antithesin facit ad ἐπιθυμιαν συλλαβεσταν v. 15.  
 ἀπεκυπετεν ad ἀποκυπετεν eodem versu, λογω ἀληθειας ad  
 ἔξελκομενος και δελεαζομενος v. 14. h. e. την ἀπατην  
 των ἐπιθυμιων Eph. IV, 22. & reliqua: εἰς το ἐναρ-  
 κτισματων ad ἀμαρτιαν & θανατον v. 15. At-  
 que ex hoc jam Dei beneficio Apostolus triplex con-  
 seclarium elicit, statui ecclesiarum, ad quas scripsit,  
 prorsus adcommodatum, in verbis comm. 19. & 20.  
 sub finem præf. jam allegatis, quibus nunc obser-  
 vationibus quibusdam philologico-criticis lucem ad-  
 fundere conabimur. 1) Pro ῥητ Cod. Alex. &  
 Barb. 2. habent ῥητ, quod etiam interpres coptus  
 expressit, & Vulgata prisca reddidit: *Scitote, Hiero-*  
*nymiana, scitis; sed haec lectio plane est absurda, ipso*  
*etiam ESTIO judice, eaque admissa sensus nexusque*  
*vocum propemodum nullus,* secundum B. MI-  
 CHAELIS Hall. in tract. crit. de VV. Lect. N. T.

cau-

caute colligendis & dijudicandis pag. III. unde &  
**BENGELIUS** eam, ut ex incuria & inscitia natam,  
 primoque protinus adspectu absurdam, merito pla-  
 ne præteriit, hancque omissionem contra censuram  
 cel. BAVMGARTENII tuitus est in *App. cr. ed. II.*  
 pag. 424—426. quid enim, quæsumus, sibi vult  
 τὸ καὶ ante ἐσω in cod. Alex. & τὸ autem post illud  
 apud *Latinum?* quis sensus & nexus inest verbis:  
*Scitote, vel, scitis,* fratres dilecti, sit autem omnis  
 homo &c. Ως legunt plurimi Codd. & versiones  
 magno consensu. Est autem illud h. l. particula  
*illativa*, significans, *itaque*, ut Matth. XII, 12.  
 1 Cor. III, 21. C. IV, 5. C. XI, 27. C. XV, 58 Phil.  
 II, 12. IV, 1. 1 Thess. IV, 18. simul vero etiam *tran-*  
*sitioni* inservit, ad tractationem sequentem; tria scil.  
 momenta nunc proponit Apostolus, quorum *primum*  
 uberioris persequitur v. 21—27. & Cap. II. toto *se-*  
*cundum* Cap. III, 1—12. & *tertium* Cap. III, 13—fin.  
 & Cap. IV. 2) alloquium, ἀδελφοι μν ἀγαπητοι, præ-  
 ter id, quod semper ad testificandum amorem, atque  
 sic ad sequentia monita animis lectorum eo efficacius  
 insinuanda adhiberi solet, saepe etiam *indictum* præbet

ineim-

ineuntis novæ sectionis, ita, ut diligens ejus observatio Interpreti quandoque totam Epistolæ alicujus cœconomiam pandat, justamque ejus analysin multum adjuvet. 3) ἐσω πας ἀνθρώπος antitheton est ad μηδεις v. 13. ubi de fugiendis præcipit Apostolus, quemadmodum hic de faciendis.

## §. II.

Omnis homo, inquit JACOBVS, sit α) ταχυς ἐις το ἀκεσται, celer ad audiendum, quod SYRACIDES C. V, 3. (T. gr. v. II.) ita exprimit: γινε ταχυς ἐν ἀκροασει σε. ubi Lutherus vertit: sey bereit zu hören; Promtitudinem certe ad audiendum Apostolus hic commendat. Quid vero in primis tam promte audiendum sit, docemur v. 18. scil. λογος ἀληθειας, & v. 21. scil. λογος, qui salvare potest animas nostras. β) βραδυς ἐις το λαλησαι, tardus ad loquendum; γ) pulchre hoc monitum priori subneicitur, nam auditionis impedimentum est loquacitas; vid. Hiob. VI, 24. XIII, 13. XXIX, 21. XXXIII, 33. Prov. XII, 23. XVIII, 2, 13. hinc forte silentium Pythagoricum. 2) Ipsi etiam gentiles suis suaserunt audire magis quam